eſſe, quod mox ſeſe latius extenderit, & cujus exemplum fuerit uberius. Verum eſt poſt primas perſecutiones muliebrem ſexum non dediſſe unquam tantum perſonarum numerum, quæ vitam ſuam ad fidem tuendam profuderint: quia perſecutiones deinceps infrequentius ſæviere; & quia martyrium non ſemper in noſtra eſt poteſtate, quemadmodum puritas. Verum S. Urſulæ filiæ in hoc ab aliis diſtinguuntur, quod martyrio ſe objiciunt, munus Apoſtolicum obeuntes, & quod per conſtantiam, quam hereditatis jure obtinuerunt a S. Urſula matre ſua, earum quædam videntur maria traducere, & in remotiſſimas plagas ſe conferre ad fidem ibi excolendam, quam Apoſtolici viri illuc inferunt; quod cum zelus ſuus illas intra mundi veteris fines contineri non poſſit, in novum ſe conferunt ad novos triumphos referendos, Oceani periculis ſe objiciunt, & in partem Apoſtolicorum laborum accedunt. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Sanctimoniales Divæ Urſulæ matris ſuę exemplum ſecutę Apoſtolicis functionibus ſeſe adducunt, maria traducentes, ut barbarorum filias erudiant.

Sanctimoniales Sanctæ Urſulæ habita ratione ſexus uſque ad noviſſima hæc tempora diſpenſatæ fuerant, ne maria traducerent, ut Doctrinam Chriſtianam docerent in regionibus barbaris; ſed earum ſolers caritas illas maribus trajiciendis pares fecit, ut liqueat, non tantum fortitudinem earum deeſſe martyrio, ut loquitur S. Cyprianus, ſed martyrium illarum deeſſe fortitudini. Hic fructus eſt exempli S. Urſulæ, quod ſecundum fuit Virginibus, atque Martyribus; propria enim vocatio illarum, quæ ſub vexillo illius militare cupiunt, eſt puritatem profiteri, & ad martyrii gloriam contendere, ita ut ſicuti in Eccleſia nullum eſt munus amplius, ac ſublimius Apoſtolico, quod quidem eſt diſpoſitio quædam, &, ut ita dicam, martyrii tyrocinium; ex filiabus S. Urſulæ Deus quaſdam elegit, quæ ad extremas uſque terrarum plagas proficiſcerentur, ut ibi animas erudiendas conquirerent, Apoſtolorum muneribus perfuncturæ, & cum vitæ ſuæ diſcrimine pergerent ad ſalvandas animas Salvatoris Sanguine redemptas. Glorioſa poſteritas, quam illuſtre Principis, Virginiſque noſtræ exemplum reliquit! dignæ tanta hac Matre filiæ! heredes æque fortitudinis ejus, ac puritatis! ſemper parata, ut Eccleſiæ ſuppeditet Martyres æque, ac Virgines, quoniam ad exemplum illius formatæ ſunt, cujus laudes celebramus. Itaque alterum componunt exercitum, qui Sanctam noſtram tamquam Caput, ac prototypum tenet. Magna hæc Sancta alteram hanc ducit familiam per eaſdem vias, per quas priorem deduxit; ideoque hæc quoque heres eſt illius fortitudinis, atque conſtantiæ. *Idem.*

Sanctæ hæ Virgines exercent eadem Apoſtolica munera in omnibus civitatibus, in quibus ſedem obtinuere.

Mille benedictionibus cum Eccleſia Sanctam Urſulam proſequamur eo quod adeo ſtrenue fidem ſuam propugnavit, & quod amore adeo efficaci puritatem dilexit, ut illam innumeræ Virginum multitudini inſpiraverit, quæ illi acceptas uni referre debent palmas, quibus in æternum coronatæ fuerunt. Cælum nobis præbet exemplum per eas benedictiones, quibus illas in hoc ſæculo tanto cum fulgore cumulat. Nonne enim nobis hac ex parte ſpectanda eſt illuſtris Ordinis inſtitutio, quæ ſub auſpiciis, & ad imitationem Sanctæ hujus inceſſanter invigilat formando Sponſas Jeſu Chriſto in his virgunculis, quæ curæ earumdem committuntur? Religioſæ, quæ hunc Ordinem conſtituunt, ut S. Hieronymus inquit, longe ſe beatiores exiſtimant, quod tenellis cordibus primos chriſtianæ pietatis ſenſus inſpirare valent, quam fuerit princeps philoſophorum in efformando Aſiæ domitore. Alacriter ſuam requiem, valetudinem, vitamque ipſam ſacrificant in laboribus iis, qui ab adeo ſancto munere divelli non poſſunt: *Multo glorioſior mundi Philoſopho, qui non Regem Macedonum, ſed Sponſam Chriſti erudiam*, laudatus inquit Hieronymus. Zelus earum ipſo terrarum orbe major cum intra Europæ fines contineri non poſſet, illas per Oceani immenſi fluctus traducit, uſque ad ea climata, quæ ſol hinc quidem æternis nivibus, & glacies adſtricta relinquit, inde vero ardoribus non ferendis, obnoxia, ut Cæleſti ſponſo lucrentur animas, quas craſsæ idololatriæ tenebræ, vel vivendi immoderata licentia dæmoni captivabat. Ita quod illuſtris Virgo noſtra non niſi ſemel, & uno in loco facere potuit, id ferventes iſtæ Religioſæ, quæ ab illius nomine nuncupantur, eo quod illius exempla ſequuntur, quotidie, & ubique terrarum faciunt; & ſicuti cor illarum eodem puritatis amore animatum eſt, lingua earum eſt Echo ſanctorum verborum, quibus illa uſa eſt ad amorem eumdem inſpirandum: *Ejus doctrina mirabilis per multiplices linguas magna ubertate diffunditur. P. Martineau.*

Quam utile, immo & neceſſarium ſit hoc munus Eccleſiæ.

Quam neceſsarium erat Eccleſiæ J. C. hoc munus eo ſæculo, in quo ſumus! Sæculum, in quo innocentia chriſtiana vix invenit aliquod vallum quo ſe recipiat contra morum corruptionem, cum vetus modeſtia traducatur tanquam ſpiritus infirmitas, & licentia paſſim honeſta libertas appelletur. Perſonæ ſæculares quidem, ſed Chriſtianæ, quas divina providentia matrimonii vinculis obligavit, ut Cælo incolas detis potius quam terræ; reſpicite domos Sanctæ noſtræ, tamquam tot aſyla, ubi filiarum veſtrarum innocentia in tuto eſse poteſt. Licet bene inſtitutæ domus veſtræ ſint, ibi tamen ſingulis diebus aliqua occurrunt pericula huic teneræ ætati; quamvis illa approbet conſuetudo, & neceſſitas aliquo modo confirmet. Igitur chriſtianæ intereſt providentiæ earum inſtitutionem illis committere, quæ arcent ab earum oculis hujuſmodi objecta. Tenera illa benevolentia, quam natura genitoribus inſpirat, nonnunquam adverſabitur, ſed timor, quem vobis incutere debet intuitus periculorum, quibus hæ adoleſcentulæ patere poſsunt, quin ne ſciant quidem, huic benevolentiæ præſtare debent: *Melius eſt deſiderare abſentem, quam pavere ad ſingula qui loquatur, cui arrideat.* Verba ſunt S. Hieronymi ad Matronam Romanam, a qua illius filiam petebat in Bethlehemitica ſolitudine educandam. Qua conſolatione non afficeremini illas intuiti, vel a vobis recedentes, ut recinant canticum Agni cum ferventibus animabus, quæ jam æternam cum illo contraxere affinitatem, vel ad vos redeuntes, ut impleant domos veſtras odore virtutum, quas magis exemplo, quam præceptis didicerint! S. Carolus Borromæus, Antiſtes ille, in quo Cælum ſub finem præteriti ſæculi nobis propoſuit imaginem virtutum Eccleſiæ priſcæ, præſentiens fructus, quos in terris Cælum relaturum erat ex laboribus Sancti hujus Ordinis, in ſuam dignatus eſt ſuſcipere clientelam prima ejuſdem rudimenta, quæ illius ævo in Italia prodiere; cumque aliquot annis poſt idem ordo in Gallia formam ſuam, extremamque perfectionem acceperit; quiſnam Epiſcopus adniſus non eſt, ut in diœceſi ſua aliqua Ordinis aſceteria ædificarentur? Brevi in amplioribus Regni civitatibus nonnulla poſita ſunt, & ne una quidem fuit, quæ peculiari modo hac inſtitutione a ſe facta non lætaretur. *P. Martineau.*

Adhortatio ad ſæculares, ut filiarum ſuarum curam Urſulinis committant.

Qui dicit Sanctimoniales Urſulinas, Virgines dicit, in quibus Sancta Urſula perennavit zelum ſuum pro ſalute animarum, & in quibus per excellentiam invenitur magnum illud privilegium, quod S. Ambroſius omnibus tribuit Virginibus, videlicet fœdus virginitatis cum fecunditate eo admirabiliori, quia fructus eſt verborum, & inſtructionum, per quas illæ Cælum frequentant, cum terræ fecunditas terram dumtaxat frequentet: *Partus Virginis fœtus labiorum, neſcit funera, novit heredes: omnes pro liberis habet.* Curæ, laboreſque veſtri, animæ religioſæ, ſunt bonum publicum, quod omnes Regni familiæ vobis debent. Etenim nonne præſtat illis, filias ſuas in domibus veſtris inter virtutum exempla educari, quam in mundo inter exempla vitiorum? Animæ in adoleſcentia omnibus patent impreſſionibus, inſtar ceræ, in qua quidquid libitum fuerit imprimitur; & ſicuti corpus efformatur antequam Spiritus; actiones, quas pueri vident, illos magis perſuadent, quam præcepta quæ audiunt, & perſonæ, quæ illos manu tenent, tutius illos ducunt, quam quæ præcedunt. Mactæ hac animi virtute, Animæ ſanctæ, toto pectore incumbite, ut tenellas Virgines erudiatis; hoc pacto efformabitis Sponſas Salvatori in terris, quæ vobis mille benedictiones precabuntur in cælo, quoniam vigiliis, curiſque veſtris illas aptas effeceritis, ut aliquando æterna beatitudine perfruantur. *Ex Chriſtianis Sermonibus.*

Finis Tomi Secundi Panegyricorum.

R. P. VINCENTII
HOUDRY
BIBLIOTHECA
CONCIONATORIA
COMPLECTENS
PANEGYRICAS ORATIONES
SANCTORUM.
TOMUS TERTIUS.
IN QUO CONTINENTUR
PANEGYRICI
SANCTORUM DIVERSI ORDINIS, & Characteris,

E GALLICO SERMONE IN LATINUM TRANSLATI.

EDITIO NOVISSIMA.

VENETIIS,
Ex Typographia HEREDIS NICOLAI PEZZANA.
MDCCLXXIX.
SUPERIORUM FACULTATE.

TABULA ARGUMENTORUM,

Quæ hic Tomus complectitur.

PRo Panegyrico S. Franciſci Xaverii Indiarum Apoſtoli. pag. 5
Pro Panegyrico S. Nicolai Myrenſis Epiſcopi. 19
Pro Panegyrico S. Genovefæ Virginis. 29
Pro Panegyrico S. Antonii Abbatis. 39
Pro Panegyrico S. Agnetis Virginis & Martyris. 48
Pro Panegyrico SS. Vincentii, & Laurentii Martyrum. 57
Pro Panegyrico S. Thomæ Aquinatis. 68
Pro Panegyrico S. Monicæ Matris S. Auguſtini. 79
Pro Panegyrico S. Bonaventuræ. 88
Pro Panegyrico S. Ludovici Galliarum Regis. 97
Pro Panegyrico S. Angeli Cuſtodis, necnon S. Michaelis, & Angelorum generatim. 117
Pro Panegyrico S. Caroli Borromæi Mediolanenſis Archiepiſcopi. 130
Pro Panegyrico S. Martini Epiſcopi Turonenſis. 142
Pro Panegyrico S. Catherinæ Virginis & Martyris. 151

CONCIONATORUM BIBLIOTHECA,

CONTINENS

PANEGYRICOS SANCTORUM.

PRO SANCTI FRANICSCI XAVERII INDIARUM APOSTOLI PANEGYRICO.

MONITUM.

POſt Sanctos, quorum meminit Scriptura, & præcipuos Ordinum Regularium inſtitutores, de quibus ſuperioribus Tomis ſermo fuit, primus inter alios Sanctos varii characteris, qui tertium hoc volumen replebunt, primus, inquam, qui ſecundum anni Eccleſiaſtici ordinem nobis occurrat, eſt Indiarum Apoſtolus S. Franciſcus Xaverius adeo celebris propter indefeſſum ſalutis animarum zelum, propter novi mundi converſionem, propter miraculorum multitudinem, & denique propter Apoſtolicos labores, heroicaſque actiones ſuas. Quin rerum ſupellex in illius extruendo Panegyrico deficiat, non mediocris laudum ejus pars erit omittenda, ut argumentum adeo late patens arctetur inter cancellos elogii communis, de ſuggeſtu recitandi.

Ut his collectaneis Orator utatur, qui Sancti hujus laudes prædicandas ſuſceperit, non tantum conari debet, ne quid prætermittat, quantum ut rite aliquot actiones inſigniores amplificet, vel aliquos locos vitæ magis ſpectabiles; hoc enim magis audientium mentes movebit, ac ampliorem aſtruet conceptum meritorum Sancti hujus, quam multitudo factorum, quam ægre tenet Auditor; quod non prohibet, quominus referri poſſint, & debeant actiones aliæ ſive ejuſdem generis, ſive diverſi, ſed minus ſpectabiles, quod facere conſuevit Orator, cui non vacat ſingulis immorari.

Quemadmodum Eccleſia Sanctum Franciſcum Xaverium colit ſub nomine, & qualitate Apoſtoli, monitum Lectorem volo, quamquam ſatis magnam collegerim rerum copiam, quæ pluribus Panegyricis ſufficere valeat, me tamen pluribus in Paragraphis addidiſſe ea, quæ illi ſunt cum aliis Apoſtolis, Apoſtoliciſque viris communia; ut qui elogium alterius cujuslibet Sancti ejuſdem characteris elucubrari voluerint, his uti poſſint, ſubſtituentes actiones peculiares, quibus diſtinguetur.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Sermonum hujus Argumenti Synopſis.

Paulus vocatus Apoſtolus, ſegregatus in Evangelium Dei. Ad Rom. I.

I. CUm hodierna luce vobis exhibendum aggrediar Apoſtolum, per vos mihi liceat inde hujus Panegyricæ Orationis exordium deſumere, ubi Sanctus Chryſoſtomus Sancti Pauli elogium abſolvit; videlicet, ſatis eſſe dicere Apoſtolum, ut liqueat magnum eſſe Sanctum; ſed ſublimem gloriæ illius apicem eſſe, quod inter ipſos Apoſtolos magni nomen promeritus eſt, videlicet quod ſublimem hanc dignitatem actionibus ſuis ſuſtinuit, & perfunctus eſt omnibus officiis miniſterii adeo inſignis, quia quicumque infra munus hoc non moratur, hic eſt ſupra laudes quaſcumque. Sanctus hic Doctor paucis hiſce verbis complectitur id, quod vix eloquentiſſimis orationibus dici poteſt. Si enim Apoſtolus homo eſt a Deo vocatus, ut hominum ſalutem operetur, ſi Nuncius eſt ab illo miſſus, ut fidei facem afferat gentibus maxime barbaris, quin pericula laboreſque reformidet illuſtri huic muneri inhærentia, ſi denique eſt Præco Salvatori mundi, electus ad annuntiandum Verbum ejus, atque illud probandum exemplo ſuo, immo etiam prodigiis, atque miraculis; quinam ille eſſe debet, qui pluſquam ceteri adeo fideliter omnibus hujus miniſterii muneribus perfunctus eſt, & denique qui remotiſſimis nationibus cum feliciſſimo eventu prædicavit? Hoc probaturus ſum in ſecundo hoc S. Paulo, æque ac in primo. Agnoſceris jam, Sancte, ex hoc nomine, & elogio, quod ſi cui paullo magnificentius videtur, meum erit oſtendere, nequaquam eſſe meritis tuis majus. Heu! quis egre ferre poteſt, quin quidquam laudis imminuam Gentium Apoſtolo, oſtendam ipſum abſolutiſſimum habuiſſe imitatorem in Sancto noſtro, qui noviſſimis hiſce temporibus oſtendit, quid adhuc valeat homo eodem ſpiritu Dei animatus in ſanctiſſimo, ac diviniſſimo miniſterio, cui Deus ipſe mortales ſocios admittere dignatus eſt? Ad id autem animadverto tria omnino eſſe neceſſaria, ut fiat Apoſtolus, eaque in textus mei verbis continentur: *Paulus vocatus Apoſtolus ſegregatus in Evangelium Dei.* Videlicet.

1. Vocatio, *Paulus vocatus*; etenim niſi quis vocatus fuerit a Deo peculiari vocatione, quomodo adeo præſtans, tantique momenti munus obibit?

2. Miſſio, *vocatus Apoſtolus*, quæ conditio ita neceſſaria eſt, ut hinc Apoſtoli nomen extiterit, quod Dei nuntium ſignificat, electum, ut quocumque nomen illius, & gloriam annuntiet.

3. Denique Evangelii prædicatio, per quam novæ inſtituuntur Eccleſiæ, & quæ eſt univerſale converſionis peccatorum inſtrumentum: *Segregatus in Evangelium Dei*. Hoc Sancto noſtro commune fuit cum Apoſtolis omnibus, potiſſimum vero cum S. Paulo. Vocatio ſua illum a mundo ſegregavit, ut totus vacaret Deo invicta conſtantia, tanquam Apoſtolus Gentium. Miſſio ejus illum a mundo divulſit, effecitque, ut omnes terrarum plagas perageret Dei nomine, cum zelo S. Pauli; ejuſque prædicatio obtinuit, ut ad ipſius Pauli exemplum Deo integrum lucraretur Orbem prorſus ſimili fidelitate, & eventu. Hoc erit argumentum Elogii celeberrimi Sancti hujus, & ſermonis partitio. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

II. Tria, ex D. Gregorio, ſunt neceſſaria, ut quis Apoſtolicum miniſterium ingrediatur, ac digne ſublimibus ſtatus hujus muneribus perſungatur.

1. Opus eſt eligi.
2. Opus eſt probari.
3. Opus eſt laborem amare, & officii ſui gloriam vereri.

Eligi, ut obedientiæ neceſſitas, non cupiditas nos agat. Probari, quia ſeſe objicit periculo in præceps ruendi, qui ambulat per anguſta viarum, quas nondum emenſus eſt. Amare laborem, & gloriam vereri, quia abuſus poteſtatis eſt, illam tantum ad oblectationem, & utilitatem quæ in ea invenitur, retinere, eamque per laxamentum, ac metam temperare. Sanctus Xaverius cum hujuſmodi animi præparationibus munus Apoſtolicum ingreſſus eſt. Electus fuit a Sancto Ignatio, cujus electiones omnes, & conſilia Spiritus Dei moderabatur, & miſſus fuit a Summo Pontifice, qui centrum eſt Communionis Eccleſiæ. Xaverius ſui periculum fecerat antequam Apoſtolicum ſuſciperet miniſterium, mortificationibus, pœnitentiis, jejuniis, vigiliis, ut ſtatu adeo ſublimi ſe dignum præberet. Laborem dilexit, quia jam in Verbi miniſterio ſeſe exercuerat, cum jam prædicaſſet, pauperibus catechiſmum tradidiſſet in xenodochiis, publiciſque plateis in Italia, Gallia, & Luſitania. *Ex Panegyricis Flechier hujus argumenti.*

III. *Ite, Angeli veloces*, in remotas terras, extremaſque mundi plagas. Hæc Scripturæ verba erant imperium Apoſtolis, qui a Deo ſæculorum decurſu mittendi erant ad Evangelium in regiones ſemotiſſimas prædicandum. Nuperi Scripturarum Interpretes hanc Prophetiam explicant de Indiis, & Japonia. Creditur profecto hoſce Angelos videlicet Apoſtolos, ut ita dicam, volaſſe ſuper alas ventorum, ut in terras longiſſime diſſitas Evangelii lucem afferrent. Hac imagine poſt Spiritum Sanctum non verebor uti ad texendum S. Franciſci Xaverii elogium, atque vobis oſtendendam magnitudinem laborum, meritorum, & ſanctitatis ejus; & quin ſingulis nubium proprietatibus immorer, & in uſibus omnibus, in quos illas adhibuit Deus in Bibliis, quod omnibus Apoſtolis convenire poteſt; audeo dicere Indiarum Apoſtolum, incomparabilem Sanctum Franciſcum Xaverium inſtar nubis fuiſſe actæ a Spiritu Sancto, quæ terra, marique volavit inceſſanter per nives & glacies, per ardores & ariditates, modo in regiones, quæ nimio calore torrentur; modo in eas, ubi natura præ frigore languere videbatur, inter agreſtes homines, & barbaros æque libenter ac per ædes Principum. Ad exornandum igitur magni hujus Apoſtoli elogium intra tres me contineo conſiderationes, in quibus videbimus, ea quæ ſol naturæ facit in nube, Solem gratiæ in Sancto hoc facere. Sol nubem attollit ſuper terram, ſublatam penetrat, ac fovet puriſſimis radiis; denique ſublatam, ac penetratam, in pluviam ad terram uberem efficiendam reſolvit. Per hæc tria Xaverii merita, ſanctitatem, & gloriam detegemus.

1. Videbimus perfectiſſimam illius a terrenis omnibus abalienationem; hæc nubes eſt in aerem ſublata.

2. Videbimus inſignes, & admirabiles qualitates, quibus Sol gratiæ, videlicet Spiritus Sanctus, illum ornavit, & magnum amorem, quem in illo ſuccendit. Hæc nubes eſt divinis puriſſimi zeli ardoribus penetrata.

3. Denique conſiderabimus Apoſtolicos illius labores, magnas converſiones, quas operatus eſt, & bona, quæ attulit immenſis regionibus, quas peragravit. Hæc nubes eſt in pluviam converſa pro gentium plurimarum fecunditate.

IV. Pro themate ſumendo verba hæc: *Vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram Gentibus &c.* Act. 9.

Hic effectus eſt divinæ Providentiæ, ut eo calamitoſo ſæculo, quo tot ſchiſmatibus laniabatur Eccleſia, atque tanta Hæreſiarcarum, multitudine oppugnabatur, qui nihil intentatum relinquebant, ut illam everterent, & ſimul in Chriſtianorum corde omnem Religionis ſenſum extinguerent: Hæc Providentia, quæ inceſſanter ad illius cuſtodiam invigilat, non permiſſura, ut portæ inferi adverſus illam prævaleant, ſuſcitaverit ſimul Sanctum Franciſcum Xaverium zelo vere Apoſtolico animarum, qui

1. Honori fuit Eccleſiæ virtutibus ſuis, quæ in veteri, novoque mundo oſtenderat quamdam imaginem ſanctitatis temporum primorum, idque iis in locis, ubi Eccleſia omnem fere amiſerat formam propter malorum Fidelium vitia, & mala, quæ invexerat hæreſis.

2. Illius fines latius extendit laboribus ſuis Apoſtolicis, & prædicatione Evangelii uſque in extremas terrarum plagas.

3. Illius confirmavit veritatem miraculis numero carentibus, quæ totidem fuerunt certiſſima argumenta; quandoquidem converterunt plura regna, & effecerunt, ut complures populi ſuperſtitionibus ſuis abrenuntiarent ad Jeſu Chriſti fidem amplectendam.

V. *Poſitus ſum ego prædicator, & Apoſtolus in Chriſto*. 1. ad Timoth. 2. Apoſtoli dignitas tanta eſt, & adeo magnifica, ut non dubitet Sanctus Paulus illam ceteris præferre, quæ ſunt in Eccleſia, illam præponens dignitati Prophetæ, atque Thaumaturgi; ita ut qui illa fuere præditi, ſemper habiti fuerint Principes Eccleſiæ. Et Profecto quinam ſunt Apoſtoli, niſi Præcones, & viſibiles Angeli, per quorum ora Deus ſua nobis mandata declarat? Niſi Tubæ quæ Dei ſpiritu animatæ, gloriam illius in omnes terras diffundunt? Sunt præfecti copiarum Dei exercituum, qui cum omnes dæmonum conatus in illos ipſos converterint, illos in ipſo imperii eorum propugnaculo laceſſunt, & ſuperant. Sunt coadjutores Jeſu Chriſti in magno opere Redemptionis hominum, cum quibus Mundi Salvator ſuas curas partitur, ſimulque quidquid in illis glorioſius eſt. Denique ſunt Mundi Salvatores, qui hanc ſuſtinent dignitatem æquius & glorioſius, quam olim Joſeph, & Joſue, qui nihilominus hac in re fuerunt Jeſu Chriſti figuræ. Ideo mundi Salvator de illis verba faciens, qui ſecum operantur ad converſionem animarum, ait, non defuturam iſtis in cælo peculiarem gloriam, qua inter ceteros effulgebunt: *Qui ad juſtitiam erudiunt multos, fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates*; (*Daniel.* 12.) & licet in hoc Regno nihil ſit exiguum, ubi nonniſi Reges videntur, illos tamen in aliorum comparatione magnos futuros: *Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum*. (*Matth.* 5.) Ita Sanctus Gregorius ait, nullum Deo acceptius eſſe ſacrificium, quam zelum animarum: *Divinorum omnium diviniſſimum eſt cooperari Deo in ſalutem animarum*, Sanctus Dionyſius inquit. Numquid hoc mirabimur? quandoquidem hic finis eſt omnium operum Dei, qui in mundi creatione nihil ſibi propoſuit, niſi æternam hominis felicitatem, cum ceteras creaturas produxerit, ut illi ſubſidio eſſent, quo ſuffultus ad beatum hunc finem perveniret, in quo maxima illius gloria ſita eſt; quandoquidem hoc Deum ipſum de cælorum vertice detraxit, eumque adegit, ut in cruce moreretur potius ardore zeli conſummatus, quam vi tormentorum. Sed quamvis Apoſtoli nomen illis peculiariter conceſſum ſit, qui ore ipſius Jeſu Chriſti edocti, primi fuerunt Eccleſiæ fundatores, hoc non prohibet tamen, quominus Eccleſia eodem Spiritu Sancto afflata illud ipſum tribuerit iis, qui eorum veſtigiis inſiſtentes, primi fidem, ac Religionem in Regnum aliquod invexerunt, vel qui eam ſemel everſam, iterum reſtituerunt. Hinc S. Franciſcum Xaverium Indiarum, & Japoniæ Apoſtolum appellare non vereor, quo nomine Summus quoque Pontifex, omneſque Orientis populi eum vocarunt, illum tanquam parentem, ac Inſtitutorem ſuum reſpicientes. Duo vero neceſſario quæruntur in Apoſtolo, zelus fervens, per quem ſe cum Dei Filio conjungens, huic cooperatur ad Idolorum cultum evertendum, & reſtituendum ubique veri Dei imperium, & ſucceſſus, qui laboribus ſuis reſpondeat, videlicet populorum converſio. Facile in magno Xaverio duas haſce eximias Apoſtolatus ſui notas deprehendemus, ſi conſideraverimus,

1. Zelum ſuum feciſſe illum vere Apoſtolum in oculis Dei, a quo evocatus eſt ad glorioſum hoc munus cooperandi in proximorum ſalutem.

2. Eventum, quem largitus eſt Deus zelo ipſius, illum vere Apoſtolum effeciſſe apud homines, qui illum ſub hoc dignitatis nomine venerantur. Prior eſt nota Apoſtolatus ſui, quam ille Deo præbet: altera ea eſt, quam præbet hominibus. Si zelus illi defuiſſet, caruiſſet ille quidem ea qualitate, quæ Apoſtolis eſt maxime eſſentialis, & quæ illorum quoddamodo proprium characterem conſtituit. Sed ſi ſucceſſus zelo ſuo non reſpondiſſet, a Deo quidem Apoſtoli mercedem obtinuiſſet, ſed Apoſtolatus gloriam coram hominibus nunquam fuiſſet conſecutus.

VI. *Etſi minimus ſum omnium Apoſtolorum, plus tamen omnibus laboravi*. 1. Corinth. 15. Oſtendi poteſt Franciſcum Xaverium noviſſimis ſæculis inſtauraſſe quidquid admirabilius factum eſt in ipſo Eccleſiæ principio, ob oculos ponendo novum mundum prædicatione, & miraculis hominis unius Spiritu Sancto animati converſum, Reges Orientis Idolorum cultores cum regnis ſuis ſub Evangelii obedientiam redactos, fidem in ipſo barbariæ centro florentem, & Eccleſiæ Romanæ auctoritatem in remotiſſimas terras prolatam.

1. Quamobrem veriſſime dici poteſt, poſt primorum Apoſtolorum tempora, qui primitias Spiritus habuerunt, neminem eorum, qui Apoſtolicis inſtiterunt veſtigiis, teſtatum eſſe zelum ardentiorem, minus cupidum, & ut ita dicam, magis inſatiabilem extendendi latius Filii Dei triumphos animarum ſalutem procurando. Ut de hoc nobis perſuaſum ſit, ſatis eſt cogitare magnitudinem conſiliorum ejus, operum ſuſceptorum multitudinem, heroicamque conſtantiam in ſuperandis omnibus obicibus, qui ejuſdem conſiliis adverſati ſunt.

2. Facile eſt probare, illum nemini inferiorem fuiſſe, & etiam neminem illi extitiſſe parem laborum magnitudine, pro tam nobili cauſſa, neque longorum itinerum laboribus, neque paſſionibus, perſecutionibus, aſſiduiſque vitæ periculis, ita ut nemo ſit, cui melius aptari poſſint ea, quæ S. Paulus dixit de ſe ipſo referens labores, pericula, & omnia incommoda, quæ propter Deum paſſus eſt.

3. Ne-

3. Neminem uberioribus cæli benedictionibus fuiſſe cumulatiorem, neque ampliores nactum eſſe glorioſorum facinorum ſuorum ſucceſſus; nam mirum eſt, quod ex vitæ ipſius hiſtoria intelligimus, bis mille terrarum leucas nonniſi partem fuiſſe victoriarum ejus; hominem unum decies centena, & ultra, infidelium millia convertiſſe, manu propria octodecim centena millia animarum luſtrali aqua expiaſſe, quas inter non mediocris eſt Regum, Reginarum, Principum, aliorumque Potentatuum nomenclatura. Nonne ſingulare eſt, quod plurima Idololatrarum delubra, & Fana ſolo æquaverit, ultra quadraginta millia Idolorum confregerit, magnumque Templorum numerum ædificaverit, ubi verus Deus adoratur? Quod primus nomen & cognitionem Jeſu Chriſti invexerit apud populos, qui nunquam de illo verbum audiverant; ac inter ceteros ad ingentem illam Japoniæ inſulam, ſex & ſexaginta regna continentem, & quod tunc e vivis exceſſit, cum jam in Sinarum imperium Evangelii facem ferre meditaretur.

VII. *Vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum, &c.* Actor. 9. In S. Franciſco Xaverio conſiderari poteſt:

1. Vocatio illius omnino particularis; quoniam Deus ex homine nihil niſi mundi gloriam appetente fecit Apoſtolum idoneum, ad nomen gloriamque ſuam perferendam apud barbaras gentes, eaſque ad veri Dei cognitionem perferendam.

2. Curſus ejuſdem Apoſtolici, & labores inexcogitabiles; quos in glorioſo hoc munere pertulit.

3. Fructus, & ſucceſſus laborum eorumdem in converſione plurimorum populorum, qui illum in veteri, novoque mundo celebrem effecerunt.

VIII. *Ecce ego dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ*. Iſai. 49. Cum Deus per infinitam miſericordiam ſuam novum orbem fidei luminibus illuſtrare voluerit, ac idololatriæ tenebras diſſipare, quæ tandiu illuc incubuerant; ad novum hunc Apoſtolatum Franciſcum Xaverium elegit, utque illum ad id parem faceret, iiſdem uſus eſt adminiculis, quibus uſi ſunt primi Apoſtoli ut tantum opus ipſis e voto contingeret. 1. Immiſit illi zelum eumdem, quem Spiritus Sanctus Apoſtolis inſpiravit, cum eos miſit ad prædicandum ad omnes Gentes Evangelium, zelum illuminatum, zelum ſtrenuum, zelum parem rebus omnibus aggrediendis; quin illum aliqua difficultas deterreat. 2. Illi communicavit donum linguarum, ut olim iiſdem Apoſtolis, ita ut ab omnibus populis adeo diverſis & regionibus, & linguis exaudiretur, & intelligeretur. 3. Illi communicavit poteſtatem efficiendi miracula, omneſque naturæ leges ſubvertendi, ut probationibus adeo manifeſtis eas veritates probaret, quas iis annuntiabat.

S. Xaverius curſibus, laboribuſque ſuis omnia obiit munera Apoſtolatus, ad quem illum deſtinaverat Deus, & vocatione prorſus particulari vocaverat. 1. Incredibili celeritate plurimas regiones peragravit quocumque ferens lumina Evangelii. 2. Fidei veritates aſſeruit, & confudit omnes falſarum Religionum doctores, diſputans adverſus illos, illis eorum cæcitatem oſtendit, & fecit ut fides ſemper triumpharet quotieſcumque cum Boncis, & Bracmanibus diſceptavit. 3. Denique per miracula plurimas fecit converſiones Ethnicorum, Idololatrarum, peccatorum pertinacium; verbo, fidem in centum ferme Regnis conſtituit.

IX. 1. S. Xaverius multa & magna aggreſſus eſt facere pro Dei gloria & ſalute animarum quin in ſe confideret, ſed juſſu Dei ipſius, & particulari vocatione.

2. Omnia executus eſt ſumma cum integritate, nihil quærens niſi animarum ſalutem.

3. Vidit admirabiles effectus zeli ſui, quin ullo vanitatis ſenſu moveretur.

X. *Zelus domus tuæ comedit me*. Pſalm. 68. S. Franciſci Zelus immenſus fuit in deſideriis, in conſiliis, & factis.

2. Zelus ejus omnes ſuſtinuit labores, omnia obiit pericula, omnes ſuperavit obices, qui adverſati ſunt ejuſdem cogitationibus cooperandi ad ſalutem animarum.

3. Zelus inſatiabilis, quem omnes ſucceſſus, omneſque fructus, quos ex laboribus ſuis percepit, non valuerunt explere, ſed qui ſemper magis, magiſque ſuos protendit triumphos, quin aliquos ſibi fines præſcriberet.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, unde hauriri copia poſſit ad propoſitas Sermonum ſtructuras exornandas, & Auctores, qui de hoc argumento pertractant.

Pater Turſellinus omnium primus vitam ſcripſit S. Xaverii latine.

Orlandinus in hiſtoria Societatis Jeſu.

Lucena, Auctor Luſitanus, qui præ manibus habuit Authentica Exempla informationum, quæ juſſu Joannis III. Luſitaniæ Regis collectæ fuerunt.

Bartoli Italus Auctor celebris propter Operum ſuorum nitorem; qui quidquid ſcripſit, deprompſit ex Actis Canonizationis Sancti hujus.

Hiſtoria Indiarum P. Maffei.

Hiſtoria Eccleſiaſtica Japoniæ a P. Solier edita.

Hiſtoria Luſitana itinerum Ferdinandi Mondez Pinto.

P. Bouhours extremus eſt, qui Sancti hujus vitam Gallice ediderit tanta cum ſolertia & elegantia, ut habeatur opus abſolutiſſimum.

Baldeus ab Epiſcopo Caſtorienſi citatus in Paſtorali Epiſtola ad Catholicos fœderatarum Provinciarum, & quæ præponitur tractatui de lectione Scripturæ Sanctæ; hæreticus ille licet variam profiteatur Religionem; ita cum laude loquitur de illo, ut Jeſuita ſuæ Societatis amantiſſimus nihil præterea dicere poſſit. Teſtimonium hoc de verbo ad verbum Gallice redditum refertur ad calcem vitæ S. Xaverii a P. Bourhours. *Proteſtantes, quamvis ..., teſtimonium perhibuerunt zeli, & Sanctitatis Franciſci Xaverii.*

Ricardus Hakluit, & ipſe ex numero Proteſtantium, & præterea in Anglia miniſter, Xaverium magnifice laudat, & narrat mortem illius in Sanciano Inſula cum deſcriptione laborum ejus, qui vere digni ſunt Evangelico operario.

Nuperi Indiarum rerum Scriptores pleni ſunt egregiis virtutibus, ac mirabilibus operibus Sancti hujus.

Tavernier, qui omnem habet probitatem, quæ extra veram religionem haberi poteſt, plura quam alii de Xaverio narrat, de quo tanquam Catholicus loquitur.

Quin de plurimis multorum Concionatorum manuſcriptis ſermonibus verba faciamus, hi ſunt, quos Gallice typis editos habemus. Sacri Oratores.

Biroat Tomo primo Panegyricorum.

Flechier in eximiis ſuis Panegyricis unum habet hujus argumenti.

P. Texier in Tomo primo Panegyricorum.

P. Bourdaloue in primo Tomo Sermonum in dies feſtos.

P. Duneau in Panegyricis Sanctorum Tomo Tertio.

P. Odet d'Allier in Primo Panegyricorum tres habet hujus argumenti.

Auctor Sermonum in omnia argumenta, Tomo primo Panegyricorum.

P. Andreas Caſtillon in Sanctorum Panegyricis.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic argumento.

Loci, qui convenire poſſunt Apoſtolis, Apoſtoliciſque viris generatim.

In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Pſalm. 18.

Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram. Pſalm. 44.

Nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum. Pſalm. 138.

Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo ſcelera eorum, & domui Jacob peccata eorum. Iſaiæ 58.

Vivit Dominus, quia quodcumque dixerit mihi Dominus, hoc loquar. 3. Reg. 22.

Venite poſt me, & faciam vos piſcatores hominum. Matth. 4.

Vos eſtis lux mundi. Matth. 5.

Mitto vos ſicut oves in medio luporum. Matth. 10.

Cavete ab hominibus, tradent enim vos in conciliis, & Synagogis ſuis flagellabunt vos. Idem.

Ad præſides, & ad Reges ducemini propter me in teſtimonium illis, & gentibus. Ibidem.

Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini. Ibidem.

Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. Ibidem.

Euntes ergo prædicate.... infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones ejicite, gratis accepiſtis, gratis date. Ibidem.

In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Luc. 21.

Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Joann. 20.

Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ. Matth. 16.

Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Marc. 16.

In hoc clarificatus eſt Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei diſcipuli. Joann. 15.

Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Ibidem.

Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, ut eatis, & fructum afferatis. Ibidem.

Si mundus vos odit ſcitote quia me priorem vobis odio habuit. Ibidem.

Mementote ſermonis mei, quem ego dixi vobis: non eſt ſervus major Domino ſuo: ſi me perſecuti ſunt, & vos perſequentur. Ibidem.

Loci, qui potiſſimum conveniunt S. Xaverio, ejuſque laboribus, miraculis, & actionibus Heroicis.

Glorificavit illum in conſpectu Regum. Eccli. 45.

Vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram gentibus. Act. 9.

Sermo meus, & prædicatio mea, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione Spiritus, & virtutis. 1. Cor. c. 2.

Zelus domus tuæ comedit me. Pſalm. 68.

Arma militiæ noſtræ carnalia non ſunt, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum &c. 2. Cor. c. 10.

Et

Et ſi amplius aliquid gloriatus fuero de poteſtate, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in deſtructionem, non erubeſcam. Ibidem.

Miniſtri Chriſti ſunt, ut minus ſapiens dico, plus ego, in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter. Ibid. cap. 11.

Nocte & die in profundo maris fui, in itineribus ſæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari. Ibidem.

In labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & ſiti, in frigore & nuditate, in jejuniis multis. Ibidem.

Præter illa quæ extrinſecus ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſollicitudo omnium Eccleſiarum. Ibid.

Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non uror? Ibidem.

Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti. Ibidem. cap. 12.

Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto; cum enim infirmor, tunc potens ſum. Ibidem.

Non quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos, neque enim debent filii parentibus theſaurizare, ſed parentes filiis. Ibidem.

Ego enim libentiſſime impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris. Ibidem.

Miniſter Chriſti Jeſu in gentibus; ſanctificans Evangelium Dei, ut fiat oblatio gentium accepta, & ſanctificata in Spiritu Sancto. Ad Roman. 15.

Habeo igitur gloriam in Chriſto Jeſu ad Deum: non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Chriſtus, in obedientiam gentium, verbo, & factis in virtute ſignorum, & prodigiorum in virtute Spiritus Sancti. Ibidem.

Sic autem prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum ædificarem. Ibidem.

Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. 1. Corinth. 11.

In omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros, in multa patientia. 2. Cor. c. 6.

Ecce ego dedi te in lucem Gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ. Iſai. 49.

Exempla, & Figuræ ex Bibliis deprompta.

S. Fräciſcus Xaverius melius cõparari non poteſt, quã cũ S. Paulo.

INter ea, quorum videndorum cupiditate flagraſſe dicitur S. Auguſtinus dum viveret, unum ex præcipuis fuit, videre S. Paulum qui antonomaſtice meruit nomen Apoſtoli, lumen Evangelii nationibus afferentem. Hoc ſpectaculum illi adeo pulcrum videbatur, ut poſt Verbum hominem factum, & cum hominibus converſantem, exiſtimabat nihil eſſe viſu dignius, & quod ſuum aſpectum, atque admirationem potiſſimum mereretur. Neque mirum hoc eſſe debet, quoniam S. Chryſoſtomus addit, Deum, cum ſolem crearet, & ſydera, nihil admirabilius feciſſe. *Laudarunt te ſimul*, ait ille *omnes Angeli, cum aſtra creares, & ſolem: verum non ita, quam cum Paulum toto orbe conſpicuum faceres.* Hoc ipſum ſpectaculum hodierna die exhibere fert animus vobis ob oculos ſubjiciendo alterum Paulum in perſona S. Franciſci Xaverii, qui eodem zelo, eodemque Spiritu animatus nobis videnda propoſuit, quæ poſt S. Paulum Eccleſia non viderat, videlicet mundi totius converſionem, per Apoſtolicos ejuſdem labores: mihi enim ſuadeo, quandoquidem ille glorioſum hunc titulum poſſidet, quo Sancta Sedes poſt ejus mortem illum decoravit, quo tot populi adhuc viventem donarunt, & quod inſignibus actionibus ſuis adeo glorioſe ſuſtinuit, me invenire non poſſe elogium æquius ſimul, & ornatius, quam ſi vobis oſtendero, illum ardenti igneoque zelo ſuo factum fuiſſe Apoſtolum, & S. Paulum ſæculi ſui. Et profecto cum hic ſit aptiſſimus Sancti hujus character, nullus dubito, quominus illum agnoſcatis ſub hoc titulo, qui nomen illius non mutat, niſi ut melius cognoſcatur, neque utrumque hunc magnum Apoſtolum confert, niſi ut poſteriori gloriæ tribuatur, prioris veſtigia legiſſe.

Nõ dicimus Xaveriũ Apoſtolis parẽ, ſed vere aſſerere poſſumus, illũ non minus operatum fuiſſe quam cæteri.

Haud equidem hoc in loco S. Franciſcum Xaverium cum primis Apoſtolis auſim conferre: ſcio quænam fuere prærogativæ duodecim illorum Eccleſiæ Principum, & quamnam ſuperioritatem illis cælum conceſſit, ſeu propter vocationis eorum privilegium, ſeu propter poteſtatis extenſionem, ſeu propter plenitudinem ſcientiæ. Verum poſt omnia, ut Sanctus Auguſtinus animadvertit, non erat dignitati J. C. derogare aſſerere, S. Petrum majora operatum fuiſſe præ illo miracula: itaque nihil puto de Apoſtolorum præeminentia minuere, cum dico Deum ad Eccleſiam ſuam amplificandam adhibuiſſe Sanctum Franciſcum Xaverium ad efficiendum miraculum non minus admirabile, neque minus divinum iis omnibus, quæ ſuſpicimus in glorioſis Fundatoribus Chriſtianæ Religionis. Quod enim miraculum eſt, maxime admirabile ex omnibus, quæ in Eccleſiæ inſtitutione facta ſunt? Nonne, ut Sanctus Ambroſius ait, hæc eadem eſt inſtitutio? At nonne hoc fecit Xaverius ſola virtute divini Verbi, mundum integrum imperio veri Dei ſubjiciens? nonne per tria leucarum millia, & ultra Evangelicum lumen effudit? Nonne numerum numero carentem Eccleſiarum conſtituit in Oriente? Adiit poſſeſſionem duorum, & quinquaginta regnorum, ubi Jeſus Chriſtus regnaret. Ille manu ſua ultra decies centena animarum millia ſacro abluit baptiſmate. Ecce miraculum fidei noſtræ, miraculum, quod longe ſuperat quidquid legimus de illis Heroibus ſeu veris, ſeu fictis, quos tantum profana jactat hiſtoria: miraculum, ubi dicere poſſum cum S. Ambroſio, Franciſcum re ipſa feciſſe, quod humana Philoſophia excogitare non potuit: *Minus eſt, quod illa finxit, quam quod iſte geſſit.* P. *Bourdaloue.*

S. Fräciſcus Xaverius Aaroni cõparatus.

Videtur Deus in maximis operibus ſuis, ut favores ſuos impertiret, vel ut faciliorem efficeret executionem æternorum conſiliorum ſuorum, ſemper duos diverſos homines elegiſſe, qui eſſent vel ſuæ miſericordiæ, vel ſuæ potentiæ miniſtri. Cum legem ſuam conſtituere voluit, & ſibi populum facere, qui peculiari jure, ac titulo ad ipſum ſpectaret, ut inquit Scriptura, elegit Moyſen, qui legislator eſſet, & Aaronem, qui eſſet tanquam Orator populi ſui. Alteri quidem dedit regimen Iſrael, alteri vero verba ſua ad Pharaonem, Sanctus Auguſtinus ait. Voluit ut in uno Principatus eſſet, in altero Verbi miniſterium. Cum Eccleſiam ſuam fundare voluit, elegit Petrum, qui illius Caput eſſet, & Paulum, ut eſſet concionator, uti loquitur S. Chryſoſtomus; unum qui ad ipſum adduceret eos, qui erant ex Circumciſione, alterum, qui Gentes converteret. Primus eſt lapis fulciens ædificium, & qui congregat filios in domo; alter eſt vas electionis, ut portet Jeſu Chriſti nomen ad Populos, & Reges, uſque ad extremas terrarum plagas. Ita cum Deus noviſſimis hiſce temporibus voluit mores Chriſtianorum corrigere in Europa, ſibique creare novum populum in Aſia, elegit Ignatium, & Xaverium, ut illis ſua divideret miniſteria. Alteri quidem dedit Spiritum, & Sapientiam Patriarchæ, alteri vero cor, & zelum Apoſtoli. Uni quidem dixit: Hic mane ad efformandum corpus, quod ſeſe debet in omnes mundi partes extendere, ad confirmandum Ordinem tuum naſcentem regulis tuæ diſciplinæ, ut temet objicias erroribus, & laxamentis, quæ in Eccleſia mea ſuboriuntur, ut opereris ad ædificationem filiorum tuorum, & fratrum tuorum converſionem. Alteri dixit: Vade in regiones illas idolorum cultui ſubjectas, ubi nomen meum ignoratur; per vias, quæ nondum apertæ fuerunt Miniſtris Evangelicis, diſruptis cancellis, ac ſepibus, quas ipſe inter utrumque Mundum poſueram. Vade, & affer verbum, & veritatem meam illis, quos prædeſtinavi, & demete eas ſegetes, quas mea tibi præparavit Providentia. *Flechier.*

Et Apoſtolo gentium.

S. Fräciſcus Xaverius in aliquo cõparari poteſt cũ Moyſe & Elia.

Si conſideratur indefeſſus iſte Zelus, quo Xaverius Apoſtolicos ſuos curſus inchoavit, & quos eadem rapiditate perſecutus eſt, & abſolvit: Si attenditur, magnum Sanctum hunc ſolo tactu curaſſe teterrimas infirmitates; ad nutum, ac imperium ejus ignem de Cælo deſcendiſſe ſuper indevotas corruptaſque urbes; nonne confitendum eſt, huic Eliæ ſpiritum fuiſſe? & ſicuti laudatus Propheta in cælum adductus fuit igneo curru, quem Angeli geſtabant, Xaverium ſimiliter in omnibus Apoſtolicis itineribus cucurriſſe, ac volaſſe perinde ac ſuper ventorum alas deferretur, Dei ſpiritu animatus, & ſemper progrediens, quin aliquando retro reſpiceret? Si Xaverii potentiam reſpexerimus, nonne dicemus, illum exercitus deleviſſe manibus in cælum ſublatis, tanquam Moyſen alterum; illum ad conſpectum ſibi invidentium mortuos ad vitam ſuſcitaſſe, & quotidie doctrinam ſuam ſignaſſe, & confirmaſſe miraculis, præbentem inſignia Miſſionis ſuæ teſtimonia? Ille etiam procul dubio comparabilis eſt cum Martyribus, ne una quidem inter venas illius fluebat gutta ſanguinis, quam pro tuenda fide ſe non deſtinaverat effuſurum: ſaltem ille fuit victima ſuæ caritatis, & martyr zeli ſui hoc pacto noſtram inſimulans ignaviam, teporem, atque mollitiem.

Similitudo S. Xaverii cũ S. Paulo.

Præter ſimilitudinem S. Xaverii cum Apoſtolo Gentium, de qua verba fecimus, comparare poſſumus etiam utriuſque hujus Apoſtoli paſſiones, atque labores; quorum prior fuit prototypus, alter vero exemplar adeo perfectum, ut facile ſit eadem in utroque legere lineamenta. Satis eſſet ea conferre, quæ de ſe ipſo narrat S. Paulus, & quæ de illo S. Lucas teſtatur, cum hiſtoria vitæ S. Xaverii, & iis, quæ colligi poſſunt ex ejuſdem epiſtolis, ut tanta utrinque appareat ſimilitudo, ut unus pro altero valeat deſumi. Verum unum illud conſiderabo, quod ad hanc uſque diem in Xaverii oppido videtur, Crucifixum manantem guttis ſanguineis, quotieſcumque Sanctus in aliquo gravi periculo vitæ verſabatur, vel apud Barbaros, vel in itineribus ſuis, vel cum laboribus fatigatus erat: quaſi Salvator ipſe in partem vellet accedere cruciatuum, ac paſſionum Servi ſui. Nunc conjicite, utrum tot curæ, tot labores, tot navigationes pro animarum ſalute ſuſceptæ, utrum tot glorioſæ res geſtæ ad Evangelii propagationem, poſt miſſionem Cælo, terraque probatiſſimam Sancto huic mereantur nomen Apoſtoli, quod illi tribuit Eccleſia, ita ut tanquam alter Paulus habeatur.

Xaverius Goæ id fecit quod Jonas in Ninive.

Xaverio ſtatim non longe quærendum fuit caritatis exercitium. Cum Goam acceſſit, veram ibi nactus eſt Sodomam, Babylonem, urbem, quæ vitiorum omnium ſentina vocari poterat, æque ac omnium mundi nationum. Illic profecto laborum non deerat materia centum operariis; verum ubi Deo placet, homo unus centum millibus præſtat. Jonas pœnitentiam inclamans ſtuporem incuſſit magnæ Ninive, ita ut Princeps, ac Populus ſacco indueretur; Xaverius autem intra ſex menſes, in altera hac Ninive, Orientalium Indiarum metropoli, tantam peperit mutationem, ut non amplius agnoſceretur. Tunc facta eſt Roma recens, Sion Sancta, Eccleſia

primi-

primitiva. Unus hæc omnia præſtitit, & hoc adhuc eſt primum virtutis ejus ſpecimen.

Ex omnibus miraculis, quæ facta fuere in Eccleſiæ Chriſtianæ inſtitutione, unum ex maximis fuit Eccleſiæ inſtitutio per Apoſtolorum miniſterium. Xaverius autem noviſſimo hoc ſæculo portentum hoc inſtauravit. Ille quippe propter fidei propagationem, ut olim Apoſtoli, ea præſtitit, quæ toto cælo ſupra vires humanas ſita erant, & hæc edidit zeli prodigia per ea, quæ neque prudentiæ, neque humanæ ſapientiæ credebantur eſſe conſilia. Et hæc illa ſunt, quæ Evangelii miraculum nuncupari poſſunt.

Mundi cõverſio prodigium eſt Eccleſiæ Inſtitutioni comparabile.

Et ſane a Luſitaniæ Rege accerſitur in Indias mittendus: navim conſcendit; ac brevi pervenit Comariam, ac ſtatim viginti Idololatrarum millia eum veri Dei legatum agnoſcunt. Japonia illum expectat, ibi pſeudoſacerdotes confundit, Reges baptizat, populos ſanctificat, & multas inſtituit Eccleſias. Verum quidem eſt eodem tempore Lutherum, atque Calvinum pervertiſſe, ac ad ſe pertraxiſſe Orientem, ac Septentrionem. Sed hi duo Hæreſiarchæ Religionem naturæ commodam prædicabant, & ad inſtituendam Religionem in ſenſibus fundatam, nullus opus erat miraculis: cum interim Xaverius prædicabat Religionem ſenſibus naturæ prorſus oppoſitam. Quænam erit magni hujus Sancti gloria Judicii die producere poſſe tot fructus miſſionis, ac victoriarum ſuarum? ſed quodnam nobis dedecus erit adeo parum fructus referre ex Dei Verbo, quod a tot Evangelicis Præconibus nobis nunciatur? P. *Bourdaloue.*

Sacra Scriptura narrat, inſigne illud Salomonis Templum ornatum fuiſſe auro, lapilliſque pretioſis, qui a remotiſſimis regionibus illuc allati fuere; ſed dicere non vereor ædificium cæleſtis Jeroſolymæ, cujus nonniſi figura Templum illud erat, decorandum eſſe animabus, quæ in ſemotiſſimis terrarum plagis conquiruntur. Licet enim omnes æque pretioſæ ſint coram Deo, quippe univerſæ pretioſo illius ſanguine redemptæ ſunt; earum tamen raritas pretium commendat, ac tot labores, ac ærumnæ, quæ exantlandæ ſunt, ut conquirantur, eas ſpectabiliores efficiunt. Hac de cauſſa magnus iſte Sanctus credidiſſet ſe fidelitati miniſterii ſui deeſſe, niſi Dei Verbum in deſertiſſimas terras invexiſſet; Goam, Mozambicam, Cafros, Moluccas, ac tot barbara nomina, quæ nunc ideo cognita ſunt, quia novimus regiones, ubi Apoſtolus hic prædicavit Evangelium, earumque nomina in Mundi recentis Tabula leguntur, cum ea loca percurrimus, quæ illo prædicante divino Verbo perſonuerunt.

Applicationes quorumdam locorum Scripturæ Sacræ huic argumento.

M*Iſerere animæ tuæ placens Deo.* Eccli. 30. S. Xaverius miſertus animarum Barbarorum, & Idololatrarum fecit magna, & cum zelo indefeſſo pro illarum ſalute operatus eſt; & de hac re ipſe ſcribens ad Luſitaniæ Regem, a quo miſſus fuerat, credidit, ſe non ſatis dignas gratias huic principi agere poſſe, quam eum precando, & obteſtando, ut quotidie ſerio meditari hæc J. C. Verba: *Quid prodeſt homini, ſi univerſum nondum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur?* (*Matth.* 16.) Sanctum hunc melius honorare non poſſumus, quam recipiendo nobilem hunc, divinumque ſenſum ex ore ejus, qui illum ab ore hauſit Jeſu Chriſti. Senſus hic erit ſalutis noſtræ fundamentum, ſi noſmet ſalvare velimus, & ubi de hoc nobis erit perſuaſum, facile terrena omnia negligemus, & chriſtianas virtutes in praxim redigemus.

Xaverius Orientis Apoſtolus deſtinatur.

Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, Iſai. 9. Cum Deus, ad quem unum pertinet opus humanæ ſalutis, revelare vult in terris veritatem, juſtitiamque ſuam, & mundum adducere ad ſecretos fines ſuos, per ea media, per quæ deſtinavit; electionem facit miſericordiæ, eligens illos, quos illuſtrare vult luminibus Evangelicis; & electionem miniſterii, ſibi eligens operarios idoneos ad nomen ſuum prædicandum, & ad Religionem ſuam inter Populos maxime barbaros inſtituendam. Quemadmodum verbo Dei operatur in illis, qui credunt, ut loquitur Apoſtolus, & fides nonniſi per auditum ſtatuitur, horum vocatio ſupponit miſſionem aliorum. Cum Deus in conſiliis ſuis decrevit Nationem aliquam luminibus Evangelii ſui illuſtrare, ille ipſe hoc format lumen, & illud mittit ad gentes in mortis umbra ſepultas: *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam.* Quis ſtupor! cum homines illi ignorantiæ, ac feritati ſuæ traditi loquentem audierunt Sanctum Franciſcum Xaverium ſibi novum vivendi genus proponentem, ſenſibus rectæ rationis & Evangelicis inſtitutis conformem, cum viderunt Apoſtolum, quem neque ſpes lucri, neque commercii amor, neque inanis curioſitas illuc perduxerat, ſed zelus illis prædicandi Jeſum Chriſtum, eoſque de Satanæ, & peccati ſervitute liberandi! Tunc neſcio quædam humanitatis reliquiæ illos ad reverentiam compoſuere erga Xaverium, ipſius documenta præbentem ſinceræ dilectionis. Tunc aliqua naturalis rectitudinis ſcintilla, quam nondum extinxerat, accedente lumini, quod Xaverius illis præferebat, ſuſceperunt ſenſus rationi, & Religioni conſentaneos, & gaviſi ſunt, quod dignaretur Deus illos ab alto viſitare.

Eximiæ Farncifci Xaverii qualitates.

Ecce dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ: Iſaiæ 49. Cum tempus acceſſit divina Providentia præſtitutum, & Orientis extrema audire debebant verbum Dei, novuſque orbis recepturus erat Evangelium, ſuſcitavit Xaverium, ut Auctor eſſet, & Caput operis Sancti quidem, ſed difficillimi: *Ecce dedi te in lucem gentium.* In illum contulit omnes qualitates huic muneri congruentes, nobilitatem, ut ſenſus ejus attolleret; fortitudinem, ut laborem perferret; ſuavitatem, ut ſibi animos conciliaret; acrem ingenii vim, ut operaretur; Sapientiam, ut bonum inquireret; conſtantiam, ut reſiſteret malo; generoſitatem, ut magna quælibet aggrederetur; patientiam, ut illa ſuſtineret, & Dei nomen ad extremas uſque terrarum plagas perduceret; *ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ.* Deus reddidit Franciſcum Xaverium parem voluntatibus ſuis exequendis per ſcientiam, quam illi infudit, ut humanam rationem veritatibus Evangelicis reluctantem evinceret: per caritatem ſuam illum aptum fecit ad omnes difficultates ſuperandas, ac ſeſe martyrio objiciendum; per potentiam ſuam, ut fidem confirmaret, ſuamque doctrinam miraculis tueretur. Cum adeo egregiis qualitatibus, vocatione adeo legitima, talentis adeo bene excultis, quinam ſucceſſus expectandum non eſt S. Franciſci Xaverii miſſione? Nonne videbimus *Satanam cadentem de cælo ſicut fulgor* (*Luc.* 10.) ad Sancti hujus prædicationem, non ſecus ac ad illam diſcipulorum Domini?

S. Xaverius verbi miniſterio mortificationes addebat.

Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo; ne forte cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar. 1. Corinth. 9. Ideo Franciſcus adjiciebat mortificationes labori prædicationis, ut benedictiones Domini ſuper Evangelium deſcenderet, & ut ille hoc annuntians fieret particeps fructuum prædicationis: *Ut particeps ejus efficiar.* (1. *Cor.* 9.) In fervore pœnitentiæ ſuæ ſæpe dies plures traducebat, quin aliquid ſibi carperet. Nullum habuit aſylum niſi xenodochia: vult poſſe dicere cum Apoſtolo; *ſcio eſurire, & penuriam pati.* (*Ad Philip.* 4.) Si ardenti, ac pertinaci febre correptus colligens parum illud virium, quæ ſuperſunt, ſeſe per publicas plateas trahens, hortatur tranſeuntes, ut vitæ rationem immutent, hoc agit, ut tanquam Joannes Baptiſta mortificationi addat pœnitentiam. Si deficiente voce prædicat J. Chriſtum ſuſpiriis, & corporis ſui languoribus; hoc ſpecimen eorum eſt, quæ in remotis regionibus ſibi facienda ſunt; hoc eſt ſe ipſum gerere tanquam S. Pauli Diſcipulum, & corpus ſuum caſtigare annuntiando Evangelium, ut huic annexos colligat fructus, ideoque non ſit in numero reproborum, aliis ſalutis viam oſtendendo. Quot Miniſtri Domini ab hac praxi recedunt! Quot prædicant Evangelium, non ut amarulenta illius placita ſentiant, ſed ut ſibi honori vertant, cum Salvatori dicent; in nomine tuo prædicavimus; reddet enim ille verba hæc amariſſima, *neſcio vos.*

S. Franciſcus miſſionem, & Apoſtolatũ ſuũ innumeris cõprobavit miraculis.

Signa Apoſtolatus mei facta ſunt in ſignis, & prodigiis, & virtutibus. Ad Corinth. 2. Ecce argumentum, quo S. Paulus ſuum probat Apoſtolatum, & quo ipſe utar ad illum Franciſci Xaverii probandum: Si enim in illo nanciſcar ſigna, & portenta numero carentia, non deerit mihi locus probandi dignitatem Apoſtoli, quam cognita cauſſa illi Oriens, & Occidens deferunt. Niſi me premeret inſignium factorum multitudo, quam uberem laudum materiam invenirem! Vobis oſtenderem pacatas tempeſtates, fluctus, ac furens mare ad malaciam reſtitutum, aeris intemperiem, & morborum contagionem brevi curatas. Admiraremini audientes ea, quæ narrantur Summo Pontifici in informatione proceſſus Sancti hujus cum illi dictum fuit: Sancte Pater, *cæci vident, ſurdi audiunt, muti loquuntur, claudi ambulant, leproſi mundantur, mortui reſurgunt.* Surdis auditum, mutis loquelam redderem, *ſurdi audiunt, muti loquuntur*; efficerem ut cæci viderent, & claudi recti ambularent; *cæci vident, claudi ambulant*; leproſos curarem & paralyſi, morbiſque maxime conclamatis nomen incurabilium auferrem; *leproſi mundantur.* Mox ſepulcreta aperirem, & larvas nudis oſſibus cohærentes animarem, ac efficerem ut inter vivos incederent, qui in umbra mortis requieſcunt; adeo ſtupenda miracula operarer, ut paria; & æque multa vix in celeberrimorum Thaumaturgorum vita invenirentur. De mortuorum regione in terram reverſus, ſine metu, infinito barbarorum exercitui irruenti in Chriſtianos Travancorii, unum objicerem Franciſcum Xaverium, qui procul dubio furentes in regionem ſuam coget reverti. Nec ſatis, parum eſt homines viciſſe, conjicerem etiam in fugam de obſeſſis corporibus legiones Dæmonum. Recede modo a terra, & in aerem te attolle; oſtendam tibi Eliæ prodigium in pluvia flammarum, cinerumque ardentium, quos Xaverius immiſit in urbem Tholam, ut ejus puniret apoſtaſiam. Poſtquam implevero cælum, Terramque prodigiis noſtri Taumaturgi, ut hiſtoriæ ipſius fidelitatem ſequar, dicam te unam dumtaxat eorum partem vidiſſe, ſed ſatis vidiſſe, me nequaquam illi adulatum fuiſſe, cum eidem hæc tribui verba quæ de ſe ipſo dixit Paulus: *Signa Apoſtolatus mei facta ſunt in ſignis, & prodigiis.*

Labores, & inſignis patientia S. Xaverii.

Signa Apoſtolatus mei facta ſunt in multa patientia. Ad Cor. 2. Confiteri cogor, me id tentaturum eſſe, quod fieri nullo modo poteſt, ſi fidei narratione omnes perſequi vellem S. Xaverii paſſiones. Dicere ſatis eſt, S. Paulum labores ſuos, & pericula numerantem, ſimul ea narraſſe, quæ Xaverio acciderunt. Audiamus Apoſtolum, & inde feramus judicium. *Ter naufragium feci*, inquit, *nocte, & die in profundo maris fui.* (2. *Cor.* 11.) Itinera vero quæ terra agreſſus ſum, non minoribus mihi ſteterunt laboribus: nam ſicuti mari Piratas offendi, ita terra in latrones incidi, *periculis fluminum, periculis latronum.*

Judæi,